



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. V. De propria consideratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

netrat cælum & infernum. Qualis vnusquisque intus est, taliter iudicat exteriùs. Si est gaudium in mundo, hoc vtique possidet puri cordis homo: Et si est alicubi tribulatio & angustia, hoc meliùs nouit mala conscientia. Sicut ferrum missum in ignem, amittit rubiginem, & totum candens efficitur: sic homo integrè ad Deum se conuertens, à torpore exuitur, & in nouum hominem transmutatur.

3 Quando homo incipit tepescere, tunc paruum metuit laborem, & libenter externam accipit consolationem. Sed quando perfectè incipit se vincere, & viriliter in via Dei ambulare: tunc minùs ea reputat, quæ sibi priùs graua esse sentiebat.

## CAP. V.

### *De propria consideratione.*

*Ier. 17.* **N**ON possumus nobis ipsis nimis credere, quia sæpè gratia nobis deest, & sensus. Modicum lumen est in nobis, & hoc citò per negligentiam amittimus. Sæpè etiam non aduertimus,



mus, quòd tam cæci intus sumus. Sæpè malè agimus, & peiùs excusamus. *Pf. 140.*  
 Passione interdum mouemur, & zelum putamus. Parua in aliis reprehendimus, & nostra maiora pertransimus. *Mat. 7.*  
 Satis citò sentimus & ponderamus, quid ab aliis sustinemus: sed quantum alij de nobis sustinent, non aduertimus. Qui benè & rectè sua ponderaret, non esset, quod de alio grauius iudicaret.

2 Internus homo, sui ipsius curam, *Mat. 16*  
 omnibus curis anteponit: Et qui sibi ipsi diligèter intendit, faciliter de aliis tacet. Numquam eris internus & deuotus, nisi de alienis silueris, & ad te ipsum specialis respexeris. Si tibi & *1. Cor. 4*  
 Deo totaliter intendis, modicum te *Gal. 1.*  
 mouebit, quod foris percipis. Vbi es, quando tibi ipsi præsens non es? Et quando omnia percurristi, quid (te neglecto) profecisti? Si debes habere pacem, & vnionem veram: oportet, quòd totum adhuc postponas, & te solum præ oculis habeas.

3 Multum proinde proficies, si te feriatum ab omni temporali cura conserues. Valdè deficies, si aliquid tem-

D 2                   porale



*Eccle. 1.* porale reputaueris. Nil magnum, nil altum, nil gratum, nil acceptum tibi fit, nisi purè Deus, aut de Deo sit. Totum vanum existima, quidquid consolationis occurrit de aliqua creatura. Amans Deum anima, sub Deo despicit vniuersa. Solus Deus æternus & immensus, implens omnia, solatium animæ, & vera cordis lætitia.

## CAP. VI.

*De lætitia bonæ conscientia.*

*1. Cor. 1.* **G**LORIA boni hominis, testimonium bonæ conscientia. Habe bonam conscientiam, & habebis semper lætitiã. Bona conscientia, valdè multa potest portare, & valdè læta est inter aduersa. Mala conscientia, semper timida est & inquieta. Suauiter requiesces, si cor tuum te non reprehenderit. Noli lætari, nisi quum benefeceris. Mali numquam habent veram lætitiã, nec internam sentiunt pacem: quia non est pax impiis, dicit Dominus. Et si dixerint: In pace sumus, non venient super nos mala: & quis nobis nocere audebit?  
Ne

*Luc. 12.**Isai. 57.*